

199.-200

I. N. D. A.

Dissertatio Academica

De

Regno WestroGothorum in Gallia,



Quam

Venia Amplif. Facult. Philos. Aboënsis,

Præsidi

Mag. JOHANNÉ BILMARK,

Histor. ac Phil. Pract. Prof. Reg. & Ordin.

Pro Gradu

Publico examini subicit

SVENO LENNÆUS,

Sudermannus.

In Auditorio Majori die XIII. Maji MDCCXCV,

Horis ante meridiem consuetis.



ABOÆ, TYPIS FRENCKELLIANIS.

MS-PPM

[Faint, illegible text throughout the page, likely bleed-through from the reverse side.]

à
Monſieur

SIMON BERNH. HEBBE,

Conſeiller de Commerce,

Monſieur,

VOS bontés et ma réconnoiſſance autorifent la hardieſſe, que j'ai priſe, de Vous conſacrer cet Eſſai Academique. Daignez, je vous en ſupplie, l'accepter comme une marque du profond reſpect, avec lequel j'ai l'honneur d'être

Monſieur

*Votre très-humble et très
obeiſſant Serviteur,*

SVENON LENNÆUS.

Bruks - Patronen ,

Ådel och Högaktad

Herr MATTHIAS AUGUSTIN ,

Tilågnas dessa blad i djupaste ödmjukhet

af

DESS

ödmjukaste tjänare

SVEN LENNEUS.



PRÆFATIO.

Cum corporibus animalium non hoc solum habent commune imperia & regna, quod orientur, tum ad florem ac vigorem contendant, coque obtento, ad interitum sensim declinent; sed etiam quod quædam longiori temporis spatio subsistant, aliis ad suum occasum opinione citius properantibus. Plurima utriusque generis exempla nobis suppeditant Historiarum monumenta, quorum unicum in re haud dubia nominasse sufficiat, Regnum videlicet WestroGothorum in Gallia, unius seculi spatio & formatum & destructum, de quo proinde brevem tantummodo commentationem exhibebimus; sperantes, Benevolum Lectorem juveniles nostros conatus pro sua æquitate meliorem in partem fore interpretaturum.

§. I.

In magnis illis ac frequentibus Gentium migrationibus, quibus seculo imprimis quinto orbis Europæus commovebatur, inter alias Nationes celebritatem

tem nominis & factorum haud exiguam consecuti sunt Gothi; quorum majores ex nostra Scandinavia fuisse egresfos, & per Orientales Europæ regiones ad suorum aboriginum sedes se contulisse, ibique tam singulari gentis fœcunditate, quam aliorum populorum, in suam societatem admisorum, accessione insigniter auctos esse, in dubium nostra ætate vocaturum credimus neminem. Testatur enim JORNANDES, ipse Gothus, Vir suo ævo inter suos populares magnæ dignitatis (a) & rerum Gothicarum peritissimus, Gothos ex Scanzia, vagina gentium, cum Rege suo BERICHO quondam fuisse egresfos (b); simulque Scanziam ita describit, ut nemo ambigat, quin per hanc indigitatam voluerit Scandinaviam. Constabat autem, ceu idem perhibet auctor, Gothica natio variis populis, quos inter præcipue eminnerunt OstroGothi ac WestroGothi (c). Quocirca admodum est probabile, hanc distinctionem obtinuisse inter Gothos, tam in Svethia, quam in consiniis Europæ & Asiæ habitantes (d). Præterea verisimile est, Gothos ante HERMANRICI, magni illius OstroGothorum Regis, ætatem in diversas has Nationes, fuisse distinctos, quamvis contraria opinio placeat Nob. LAGERBRING (e). ABLAVIUS enim Historicus, uti memoriæ prodit JORNANDES (f), de Gothis *ad limbum Ponti Euxini habitantibus* refert, *partem eorum, orientalem tenentium plagam, quibus præerat OstroGotha* (incertum utrum ab ipsius nomine, an a loco orientali)

tali) dictos OstroGothas, residuos vero WeſeGothas in parte occidua. Loquitur autem in citato loco de tempore, ætatem Hermanrici antevertente. Addimus, quod Trebellius POLLIO, Hermanrico fere æqualis, *AuſtroGothorum* faciat mentionem, per *Virtinguos* forte indigitans *WestroGothos* (g). Hanc autem controverſiam, minoris certe momenti & ad noſtrum argumentum non pertinentem facimus miſſam, viſuri, quo fato ac modo aditum ſibi in Galliam paraverint *WestroGothi*.

- (a) *JORNANDES* hic, Regiæ Gothorum ſtirpi cognatus, ante ſuam ad Chriſtianam Religionem converſionem fuit Alanorum Regis Secretarius, ceu ipſe fateatur in libro de rebus *Geticis* p. 134 ex editione *LINDENBROGII*, poſtmodum Epilcopus Ravenneniſis an. 552 factus, vid. *Nob. LAGERBRING Hiſtor. Svecan Tom 1. p. 544* Pleraque quæ de rebus *Geticis* adfert *JORNANDES*, ex *CASSIODORI*, Patriicii ac Conſulis Romani, ei æqualis, *Hiſtoria Gothica*, XII libris comprehenſa, ſed jam deperdita, memoriter exceperit, ceu ipſe in *Epilſtola* dedicatoria ad amicum *CASTALIONEM* profiretur; fide tamen dignus, quum ea litteris conſignaret, quæ prudentiores popularium ſuorum non minus, quam ipſe, pro comperto haberent. (b). Vid. *JORNANDIS cit. libr. p. m, 83* (c) In antiquiſſimis ſcriptis *WestroGothi* appellantur communiter *WiſiGothi*, quod poſterius nomen a priori fuit emollitum, ut adeo operam ludant, qui eos ita dictos autumant, quaſi *Viſios* ſeu *Superiores* vid. *Nob. ISERHIELM Diſſert. de Regno WestroGothorum in Hiſpania p. 10.* (d) Scilicet

loquitur JORNANDES cum de OstroGothis, Scanziae incolis libr. cit. p. 82, tum de Ponti Euxini accolis p. 95. (e) Vid. libr. modo citat. p. 554. (f) Vid. libr. nominat. p. m. 95. (g) Vid. p. 542 inter Historiae augustae Scriptores minores ab Ulric. OBRECHTO editos.

§ II.

In suis ad Pontum Euxinum tesquis diu non permanferunt Gothi; sed quum omnis eorum spes emergendi in armis confisteret, nec alios vitam sustentandi modos, quam qui strictis parantur gladiis, sibi convenire ducerent, in vicinas regiones, potentiae Romanae subjectas, irruptionem iterum iterumque fecerunt, strenuissimis tamen Romanorum Legionibus post ancipites pugnas in initio cedere coacti. His autem claudibus aliisque infortuniis non fracti, sed ferociore facti Gothi, Romanos data occasione aggredi tamdiu perrexerunt, donec eorum vires librarent. Sequenti tempore, ingravescente inter Romanos luxu, solutaque veteri morum disciplina, fractum est imperii horum robur; quod vero gravissimum accepit vulnus, dum Imperator THEODOSIUS M. praepostero in filios suos amore, imperium Romanum inter eos ita divisit, ut major natu ARCADIUS regiones Orientales, HONORIUS autem Occidentales obtineret. Enimvero sicut hi Principes ab infantia nimis indulgenter habiti, vix ephebi essent, dum ad imperii gubernacula acceserunt; ita regiminis molestias in suos ministros libenter transtulerunt, imperii fastigium pro
thea-

theatro quarumvis voluptatum, quas sibi permiserunt, habentes. Quare etiam RUFINUS Constantinopoli, & STILICON Romæ summam imperii ad se traxerunt, qui præterea æmulis se persecuti sunt studiis, salutem publicam eo minus curantes, quod eorum molimina eo collinearent, ut Principibus suis plurimum facescerent negotii, in continua rerum publicarum turba suæ velificaturi ambitioni. Factum insuper hoc est tempestate, utrique imperio alienissima; præerat enim WestroGothis eo tempore ALARICUS, eis eminentibus, quæ aditum ad summos parare solent honores; quem missis ad eum magnis muneribus in suas partes primus sollicitavit Rufinus, ut Græcas adoriretur provincias; quod quum impigre fecisset, imperio orientali ad ineitas fere reducto, dum unus patriæ rem restituisse videri vellet Rufinus, Alaricum novis eisdemque ingentibus donis permovit, ut afflictam Græciam relinqueret; sed Rufinus paulo post justas prodicionis suæ pœnas dedit. Ab altera parte Stilicon Alaricum ut instrumentum suæ ambitionis habuit, eum pro re nata jam bello persecutus, jam ingentibus sibi devinciens muneribus; quibus machinationibus nihil minus affectavit, quam ut imperium orientale & occidentale in unum corpus iterum conjungeret, utrique imperaturus, & filio EUCHERIO, quem ex SERENA Imperatoris HONORII consobrina, sua conjuge, susceperat, si votis responderet succensus, relicturus integrum. Postquam autem STI-

LICON ex mandato HONORII, sui generi, an. C. 408
 cruento succubuisset fato, Alaricus, missis ad Imperato-
 rē legatis, postulavit, ut auri & argenti summam,
 a Stilicone sibi promissam, acciperet; surdas autem
 inveniētes aures, Gothicas undique contrahit copias,
 simulque ATAULPHO, affini suo, ceu communis
 est sententia, mandat, ut suas, quas in Pannonia ha-
 beret copias, ex Gothis & Hunis constantes, ad se
 deduceret, conjunctis viribus Italiam, præcipue vero
 Romam aggressurus. Ipse tamen ira, quod se a Ro-
 manis delusum videret, exæstuans, auxiliatrices copias
 sibi certo adfuturas non exspectans, Italicas regiones
 instar fulminis pervadens, Romam arcta cinxit obsi-
 dione, & si æque re ipsa, ac nomine fuisset barbarus,
 mox expugnaverat. Verum urbis dominæ quasi mi-
 fertus, Romanis conditionem servandi suam civita-
 tem ab imminente exitio obtulit, si videlicet pecuniæ
 summam, sibi in militiæ stipendium debitam, præsta-
 rent; & quum hujus partem obtinuisset, obsidionem
 solvit, in Hetruriam secedens, ibi commoraturus, do-
 nec reliquam argenti vim sibi attulissent Romani. E-
 nimvero quum spe sua non tantum frustraretur, sed
 insuper a Legionibus præter opinionem infestaretur,
 implacabili in Romanos fœdifragos odio accensus, Ro-
 mam advolavit, urbem fame ac miseria ad incitas pla-
 ne redactam, an. C. 409 expugnavit, cujus direptio-
 nem dum suis permisit militibus, his tamen præcepit,
 ut sanguini humano, quantum fieri posset, parcerent.

Cu-

Cujus licet mandatum in ista turba non satis valuerit, laudandum tamen, quod humanitatis non esset immemor. Post triduanam Romæ commorationem militibus signum receptui dedit, magnam captivorum cohortem, & inter hos GALLAM PLACIDIAM, Imperatoris HONORII unicam sororem, obsidis loco secum abduxit (a), in Africam transiturus, & novum ibi regnum sibi suisque Gothis constituturus, nisi mors, insequente anno interveniens, prolixa Regis ALARICI molimina disturbasset (b).

(a) ZOSIMUS in *Histor. Roman. libr. VI. C. 12.* Καὶ ἡ τῆ βασιλέως ἀδελφή, πλακιδία παρ' αὐτῶ, ὁμήρε μὲν Ἰούλιον Ἰωάνη Ἰάξιν ἐπέχεσθαι, πάσης δὲ ἀπολαύσεσθαι τῆς καὶ βασιλικῆς θεοκρατίας. (b) Pleraque momenta, quæ in hac §. in compendium missa habentur, plenius enarrata occurrunt apud *OLYMPIODORUM in Eclogis Histor. PROCOPIUM in libr. de bello Vandalico, JORNANDEM in libr. de regnorum successione p. m. 55 seq.* & qui horum ductu usus est *Dn. Le BEAU Histoire du Bas Empire Tom. VI.* Observo solummodo, quod nonnulli cum *BARONIO in Annal* referant ad an. C. 411. mortem Alarici, hoc autem tempus in an 410 incidere docuit *Anton. PAGIUS in Critica ad an. 411.*

§. III.

Exstincto ALARICO, Gothi, comitiis Regi in ejus locum sufficiendo habitis, ATAULPHO, Alarici affine, digniorem invenerunt nemitem. Erat quidem
bre-

brevi statura, sed venusta forma; audax, sed prudens tamen; belli peritus, sed pacis tamen studiosus. De hoc perhibet OROSIUS: *ATAULPHUS cum esset animo, viribus, ingenioque nimius, referre solitus est, se imprimis ardentem inhiasse, ut oblitterato Romano nomine, Romanum omne solum, Gothorum imperium & faceret & vocaret, essetque Gothia, quod Romania fuisset, fieretque nunc Ataulphus, quod quondam Cæsar Augustus (a).* Paulo autem post arrogans adeo consilium mutavit, victor licet Romanorum, victus tamen a Principe GALLA PLACIDIA, quam augusti natales, eximia formæ pulchritudo & morum integritas reddebant commendatissimam. Hanc sibi conjugem, quod ei etiam suaserat Alaricus (b), quovis impendio conciliare studens Ataulphus, expeditiones suas bellicas ad illius arbitrium non raro composuisse creditur. Quantumvis igitur natura esset ferox, non potuit odio amplius prosequi Honorium, quem animo ut suum habebat affinem, nec vexare Romanos, utpote stirpi Imperatoriæ, adeoque Placidiaë addictos. Profecto rem ita nobis exhibet OROSIUS: *Jam Ataulphus abstinere a bello & inhiare paci nitebatur, præcipue Placidiaë uxoris suæ (c), feminae sane ingenio acerrimæ (d), & religionis satis probatæ, ad omnia bonarum ordinationum opera persuasus & consilio temperatus (e).* Nihil tamen suscepturus vel a sua dignitate alienum, vel militum in se studio adversum, Honorio, Gothorum ex Italia discessum desideranti, promisit, cum voti

futu-

futurum compotem, si pecuniæ summam & necessarium com meatum suis præstaret cohortibus; interea vero easdem in cultioribus Italiæ provinciis reficiendas curavit.

(a) Vid. *Historiar. adversus Paganos libr. VII. C. 43.*

(b) *Amnian. MARCELLINUS* in chronico narrat: *Alaricum Placidiam Ataulpho, propinquo suo, tradidisse uxorem.* Contra ea autem *Paul. OROSIUS libr. VII C. 40 & JORNANDES de rebus Geticis C. xxxi* tradunt: ipsum Ataulphum Placidiam Romæ cepisse; quum vero satis inter omnes constet, Ataulphum post Romam demum expugnatam suas copias cum Alarici exercitu conjunxisse, satis patet, hos duumviros fuisse hallucinatos. (c) Inde ab eo tempore, quo in potestatem Ataulphi pervenit Placidia, conjux ejus salutatur; quod autem serius eam thalami sociam sollenniter duxerit, infra ostendemus. (d) Quantum auctoritate valuerit Regia Vingo PLACIDIA, vel exinde patet, quod quum sententia ferretur de SERENA, Stiliconis conjuge, quod Alaricus ejus accitu Romam venisse crederetur, Senatus Romanus Placidiam in consilium adhibuerit. Ita enim *ZOSIMUS libr. V. C. 38.* Ἐδόκει τῆ γενεσία πάσι καὶ Πλακιδίῃ τῆ ὁμοπιστείας (forte ὁμοπάστειας) τῆ βασιλείας ἀδελφῆς, Σέρηναν ἀνακαλεσθῆναι, τῶν περιεσώτων κακῶν ἕσταν αἰτίαν.

(e) Vid. *libr. & loc. modo cit.*

§. IV.

Fecit autem summa rerum angustia, in quam Imperator HONORIUS ea tempestate fuit redactus,

B

ut

ut pecuniæ & alimentorum præstatio, Ataulpho afferenda, nimis procraftinaretur: quamobrem Gothorum Rex, ne animi suorum militum otio torpescerent, secum constituit, ex Italia, quamprimum occasio affulgeret novas obtinendi sedes, discedere. Interea vero CONSTANTIUS, natione Illyricus, qui per arduos meritorum gradus ad summos in Imperio Occidentali honores, & in familiaritatem Honorii pervenerat, Placidiaæ amore deperiens, eamque sibi desponderi discupiens, nullo modo ferendum putavit, Principem, a natura & fortuna præstantissimis dotibus ornatam, barbaro Regi in thalami sociam esse cesuram. Egit igitur cum Ataulpho, ut Placidia Romanam remitteretur; qui autem, se tunc demum eam redditurum edixit, cum tantum sibi frumenti suppeditaretur, quantum exercitui suo sustentando sufficeret; satis prævidens, eam præstationem futuram impossibilem, Italia tunc temporis caritate annonæ oppressa; in sinu interea gaudens, se speciosam invenisse occasionem, Constantii postulatam eludendi (a). Dum sic transegerunt æmuli, biennium effluxit; attamen quum Honorius com meatum, quem promiserat, non præstaret, neque Italiae provinciæ quidquam frumenti suppeditare possent, Ataulphus, ne infidorum perpetuo pateret insultibus, Galliam an. C. 412 sibi adeundam existimavit (b), statimque fundamenta regni WestroGothorum ibidem posuit (c).

(a) Quum Placidia magis placeret Ataulphus, quam Constantius, ipsa potissimum obstitisse censetur, ne transactiones inter hos procos perficerentur. (b) Prosper *AQUITANUS* in *chronico ad an. C. 412*, ita scribit: *Gotbi, Rege Ataulpho Gallias ingressi; Cui consentit CASSIODORUS in chronico ad eundem annum.* (c) Vid. Anton, PAGIUS in *Critica* h. a. n. 20.

§. V.

Erat autem Gallia facies ea tempestate miserima; aliae enim aliaeque Germanicae Nationes in eam catervatim irruerant, & cum alias provincias, tum Galliam Aquitanicam & Narbonensem, ceu ut hodie nuncupantur, Provinciam & imprimis Languedociam, regiones pridem cultissimas florentissimasque, horrendum in modum vastaverant. Quibus malis accesserat, quod CONSTANTINUS Britanniae antea Proconsul, imperio HONORII se subducens, meridionali Galliae parte occupata, Imperatoris titulum & insignia arroganter assumsisset, populum sibi subiectum gravissime vexans; qui tamen temerariae suae ambitionis cruentas an. C. 411 dederat poenas. Ex his modo nominatis Galliae provinciis, tam desolatis & a corpore imperii Romani avulsis, suum Ataulphus regnum se sine ullius invidia conditurum sperans, titulum amici & socii Romanorum assumsit; ipsi autem tranquilla ejusdem possessione frui nequaquam licuit. Pergebat enim Constantius Placidiam reposcere; sed quum & ipsa hunc dedignaretur procum, & Ataul-

phum se ambitiose colentem redamaret, WestroGothorum Rex postulatam Constantii non quidem, expresse rejecit, reddendæ tamen Placidiaë eas prætexuit conditiones, quibus satisfaciendis æmulum fore imparem noverat (a). Cæterum quum novi regni auspiciis fortuna nonnihil favere videretur, Ataulphus, ne Constantio amplius verba daret, Placidiam, Candidiano nuptiarum conciliatore, Narbonæ in domo INGENII, civis inter suos præstantissimi, mense Jan. an. C. 414. ritu admodum sollenni uxorem duxit (b). Quod ut rescivit Constantius, indignatione simul ac vindictæ cupiditate accensus, Legiones Romanas, quotquot potuit, contraxit, Ataulpum bello persecuturus; quod eo etjam factum est successu, quoniam Gothis numero copiarum longe fuit superior, ut Ataulphus cum conjugè Placidia ex Gallia in Hispaniam cum parte Gothorum secedere cogeretur, ubi novum quidem sibi suisque constituit regnum, cui autem diu non præfuit, ab improbo suo ministro, nullas timens insidias, an. C. 415 interemptus (c).

(a) Vid. *OLYMPIODORI Eclog. Historiar. p. 149* (b) Nuptiarum harum apparatus satis prolixè describit Auctor modò citatus, sed quem ad nostrum argumentum non pertinentem, silentio præterimus. (c) Vid. *Prosper. AQUITANI Chronicon ad an. C. 415.* Qui de Ataulpho plura scire desiderat, consulat *Cl. Magistri Andreaë EDBLAD Dissertationem de Ataulpho, WestroGothorum in Hispania primo Rege, Præfide Cel. SCARIN Abocæ 1753 editam.*

§. VI.

Ab hoc loco non erit forte alienum, ea nominasse monumenta, quæ in memoratis Galliæ provinciis veterum Gothorum refricant memoriam. Docent igitur antiquitatum Scrutatores, partim Ataulphum regiam suam sedem Heracleæ, quæ urbs est ad Rhodanum sita, habuisse, eamque deinceps nomine Palatii Gothorum (*Palais des Goths*) fuisse insignitam (a), partim silvam, huic oppido adjacentem, in vetustis monasterii St. Ægidii tabulis Silvam Gothicam (*la Selva Gothesca*) appellatam (b). Multi etiam nostratium præsertim Antiquariorum eam foverunt opinionem, *Languedociam* indigitare *Terram Gothorum* (c). Quibus adjiciendum marmor elaboratum, quod regnante CAROLO V in agro Ægidiano, ubi diutissime jacuerat, repertum & hac ornatum epigraphæ:

ATAULPHO. FLAVIO.

POTENTISSIMO. REGI. REGUM.

RECTISSIMO.

VICTORI. VICTORUM. INVICTISSIMO.

VANDALICÆ.

BARBARIÆ. DEPULSORI. CÆSAREÆ.

PLACIDIÆ.

ANIMÆ. SUÆ. DOMINIS. SUIS.

CLEMENTISSIMIS.

ANTILII. NARBONENSIS. ARECOMICI.

OPTIMIS. PRINCIPIBUS. IN. PALATIO.

POSUERUNT.

OB. ELECTAM. A. SE. HERACLEAM. IN. REGIÆ.

MAJESTATIS. SEDEM. (d).

(a) Gott-

(a) *Gottfridus VITERBRIENSIS in Pambeo Part. XVI. p. 402. apud Pistorium Tom. II. Ataulphus vero, Rex Gothorum, amore uxoris suæ Placidia, quæ erat soror Honorii Imperatoris, a finibus Romanorum discedit, & in Gallia prope civitatem Narbonensem, ubi hodie villa St. Ægidii, in loco, qui usque hodie Palatium Gothorum dicitur, confedit super Rhodanum fluvium. (b) Vid. Nob. PERINGSKÖLDII annot. in vitam Theoderici Regis p. m. 262. (c) Vid. Auctoris modo cit. libr. p. 260. & Nob. V. DALIN Histor. Svecia Tom. I. p. m. 304. Not. (d). Aliam vero etymologiam affert BÜSCHING in Erdbeschreibungen Part. II. p. m. 480. (d) Hanc epigraphen desumimus ex Jacobi SPONII Miscellaneis Erudite antiquitatis p. 157, a qua parum differt illa, quam in annotationibus ad vit. Theod. p. 261. attulit Nob. PERINGSKÖLD. Non ignoramus, haud paucos dari Criticos, epigraphen hanc pro ficta habentes. Enimvero quamvis stilus gravitati veterum Romanorum haud conveniat, a genio tamen seculi V non prorsus abhorret. Addimus probabile esse, Ataulphum se ideo procul dubio appellatum voluisse *Flavium*, quod per suum cum Placidia matrimonium in Familiam *Flavianam*, ex qua Princeps hæc fuit oriunda, admitteretur.*
